



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. IV. Iustos celeriter ad palmam currere docet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

& non ascenditis ad terram viuentium possidendam? Cur torpescitis, electi mei, & non potius animamini, vt assurgatis ad hæreditatem opulentam primogeniti populi mei? Certè si sciretis, quàm sit magna multitudo diuinæ dulcedinis, quam abscondi & seruari quærentibus me: sicut desiderat ceruus, & currit ad fontes aquarum, ita & vos cursu velocissimo requiem meam peteretis. Experto tamen credite, & currite, si quo modo comprehendatis, more illorum, qui in agone contendunt, & anxie currunt ad brauium. Filij huius seculi sint veloces ad effundendum sanguinem; vos autem amici mei, propter verba labiorum meorum magna sollicitudine, custodite vias duras: & ad regionem viuorum, inter dolores, ac sudores fortissime suspirate.

CAP. IV.

Iustos celeriter ad palmam currere docet.

Homo, quasi flos, egreditur ex utero matris suæ, vbi ossibus, & nervis

uis compegi eum: & vix ad horam, in materia carnea consistens, fugit velut ymbra, & nunquam in eodem statu permanet. Idcirco iusti, quasi æternarum diuitiarum auari mercatores, licet consummentur in breui, explent tamen indefessa diligentia tempora multa. Et, si quid ex humana fragilitate peccant, citissimè se mundant lauacro sanguinis mei: ne subito præoccupati die mortis quærant spatium penitentia, & inuenire non valeant. Atquè ideò iustis meis omnia cooperantur in bonum, ijs, qui, secundum propositum dulcissimi cordis mei, vocati sunt sancti. Siue enim rectè agant, siue quandoque peccent, vehementer ad palmam incitantur, dum intimi doloris configitur spina. Charitas DEI vrget illos, vt magna semper operentur, vt fidelissimæ promissionis meæ confortes fiant, dum lati mandati mei viam, sine defectione, percurrunt. Vos ergo, charissimi amici mei, quos introducere decreui in terram melle, ac lacte fluentem, contendite intrare per angustam portam, antequam tenebrescat, &

cat, & clausa vrbis sanctæ ianua, respondeam serò pulsantibus: Nescio vos. Inquirete futuram, quandoquidem inter mortales non haberis ciuitatem permanentem, sit vobis cordi superna Ierusalem: & per itinera æternitatis, ad pinguem, & coagulatum montem meum, & lachrymarum valle, gemitibus inenarrabilibus, & sanissimæ Charitatis ardoribus properate.

CAP. V.

*Omibus quantumuis peccantibus
vitam offert.*

Quis est homo, qui vult vitam immortalẽ, & cupit, cœlo serenissimo, dies videre bonos? Veniat fidenter ad me, & custodiat planas, & rectas vias meas; Vita immortalis viuet, & factò intra eum viuo fonte dulcissimæ aquæ salientis in vitam æternam, mortem non gustabit in æternum. Ex magnitudine infinitæ bonitatis meæ omnes saluos fieri volo: neminemque proijcio, ne peccatorem quidem obduratum, dummodo ipse saluus fieri velit. Nemo declinet à me huma-
na pa-